Ptochotrophe

VRBIS CARNVTENSIS, ID EST, Alendorum pauperum ratio,

AD

CAROLVM GVILARDVM

Epiſcopum Carnutenſem.

PSAL. XLI,

Beatus qui intelligit ſuper pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVTETIÆ,

Ex officina Roberti Stephani.

M. D. LVII.

CAROLO GVILARDO EPISCOPO CARNVTENSI

Vincentius Lupanus s.

QVANDO *per occupationes publicas, quibus quotidie diſtraheris, tibi, non ſine magna tua, vt ſcio, moleſtia, trium huius vrbis ordinum conuentibus, in ea anno ſuperiore alendorum pauperum cauſa habitis, intereſſe, aut potius præeſſe non licuit: operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi quo quæque tempore, ac loco,*

quibúſue authoribus ſunt acta, explicarem. Vt dum inſtituti noſtri rationem intellexeris, & probaueris, ſicuti te probaturum confido, ciuibus Carnutenſibus ad rem præclaram fœliciter cœptam, ſtrenuè conficiendam, ac perpetuò tuendam paratiſsimis, conſilium, auxiliúmque tuum adiungas, & te ad eorum voluntatem, ad quam pietas eos cogit, ſic conformes, vt vicini exemplo noſtro commoniti, idem aſſequi, & præſtare poſsint. Vale, Carnutibus, Idibus Maijs, 1557.

PTOCHOTROPHE VRBIS CARNVTENSIS, ID eſt, Alendorum pauperum ratio,

AD

Carolum Guilardum Epiſcopum Carnutenſem.

NVlla certè re mortales propius ad deos accedere antiquis viſi ſunt, quàm liberalitate, & beneficentia: à quibus prudenter dictum animaduerti, homines tum demum deos imitari, cùm præclaro aliquo beneficio

alios mortales ſibi deuinxerunt. Vnde factum, vt frugum, vini, olei, medicinæ, herbarum, & rerum propè omnium hominibus neceſſariarum inuentores cœlo iidem veteres donarint: denique quicquid mortalibus commodi aliquid attulerit, pro Deo coluerint. AEgyptij Ciconiam pro numine habuerunt, quòd ſerpentibus ex Arabicis paludibus ſubuolantibus obuiam procedere, & eos necare crederetur: atque in Theſſalia ei tantus honos fuit ſerpentum exitio, vt capitale fuerit ipſam occidiſſe. Cicero lib.1, de Natura deorum refert à Barbaris belluas conſecratas, qui ſæpius Solem, Lunam, Aquam, Terram deorum numero adſcripſerunt, quòd ad vitam hominis in primis conducere viderentur. Cùm verò ab homine homini plurima, atque adeò infinita vel commoda vel incommoda ſoleant oriri, & Dei proprium ſit benefacere, & ſeruare: idcirco qui in graui periculo ſuccurrit, quíve ingenti quopiam afficit beneficio, quoniam Dei quaſi vice fungitur, ei, cui prodeſt, Deus

dicitur extitiſſe. Itaque Plinius ait Deû eſſe mortali, iuuare mortalem, & hanc ad æternam gloriam viam.

Verùm cùm plura genera ſint de hominibus benè merendi, vnum tamen mihi videtur cæteris prȩclarius, cùm benignè fit indigentibus, morbo confectis & calamitoſis, etiam indignis, propter Deum tantùm. Ariſtoteles ſcholæ Peripateticæ facilè Princeps, cùm malo homini numum rogāti dediſſet, ſubobiurgantibus amicis quòd benefeciſſet indigno, Non, inquit, illius ſum miſertus, ſed naturæ. Arceſilaus in puluino dormientis amici, & pauperis, & ægri, tamen vtrunque diſsimulantis præ verecundia, auri pondus ſuppoſuit, vt excitatus à ſomno haberet, quo vitam traduceret. Præcepit pater Ennius, vt quicquid ſine detrimento poſsit commodari, id vel ignoto tribuatur. Certè Romanis ante natum ex virgine matre CHRISTVM Deum tanta cura pauperum fuit, vt noſocomiō extruxerint in inſula Tyberis ad AEſculapij templū. Chri-

ſto demum carne tecto, nihil præclarius duxerunt Romani Imperatores, quàm, vt ei opitularentur, qui opis maximè indigebat. Cocceius Nerua natos egenis parentibus ſumptu publico per Italiæ oppida ali iuſsit quibus Hadrianus Imperator incrementum liberalitatis adiecit. Vnde qui è publico alebantur, Alimentarij dicti ſunt. Antoninus Pius puellas alimentarias in honorē Fauſtinę conſtituit, & Marcus pueros alimētariæ perceptioni adſcribi voluit. Conſtantinus, cui Magni cognomen fuit, poſt liberatam ab impiorum tyrannide Eccleſiā, lege lata ſanxit, quæ adhuc in Theodoſiano Codice extat, vt filiis pauperum è fiſco alimenta præberentur. Valentinianus verò & Martianus Imperatores ad ſuam curam in primis pertinere ſcripſerūt egenis proſpicere, & dare operam ne pauperibus alimenta deſint. In ſumma, Paulus Iuriſcōſultus legatum in alimenta infirmæ ætatis ad honorem ciuitatis pertinere reſpōdit. vt interim Turcas nō prætercam, nouam gentem, Barbaram

baram quidem,trucem,& deditam bello ac prædæ,quæ tamen (vti mihi narrauit Ianus Maumontius amicus meùs, vir ſumma certè religione & fide, qui diu apud eos vixit)tantam curam habet alendorum pauperum , vt ibi nuſquam egeno homini cibus deſit, quo ſe ſuſtentet, nec cubile, quò dormitum & quiêtum recipiatur,ſiue ſit ille quidem Turca,Iudæus, Chriſtianus, ſiue Idololatra : nam illuc vndique confluunt ex omni ſecta homines . Quin ab Illiryca Epidauro Byzantium vſque per triceſimum aut quadrageſimum ferè quemque lapidem patent hoſpitales domus, quò , ſi libet, diuertat hoſpes quivis, viator, peregrinus,& alatur oriza,pane, aqua:& equus, aut iumentum,ſi quod habet, pabulo, & grano,ídque per triduum, ſine vlla Præfecti domus, quam quidem præ ſe ferat, moleſtia. Porrò has domos ſtruxêre magno ſumptu, & ſpectata, regalíque opulentia proceres illius gentis, ædificátúrque quotidie illic, etiamnum oppidatim & vicatim, in publicum pauperũ vſum.

Quid igitur nobis faciendũ, qui Chriſtiani & dici & haberi volumus, modò ſine aliquo rei familiaris diſpendio fiat, cùm tamen Dauid beatum illum palàm prædicet, qui miſeretur afflictorum, & quibuſcunque rebus poteſt, illos iuuat? Apoſtoli certè ex CHRISTI ore perceperunt, Chriſtianã pietatem ſine mutua beneficentia non poſſe conſtare, qui eis quotidie miſericordiam inculcabat, eleemoſynam per me appelles licet. Naſcente quidem Eccleſia nulli pauperes erant: nam opes proiiciebantur ad pedes Apoſtolorum, vt ad neceſſitates vniuſcuiuſque diſtribuerẽtur. Augeſcente verò paulatim re Chriſtiana, pauperes non defuêre. Itaque ex Actorum Apoſtolicorum capite 11, conſtat diſcipulos propter famẽ ſubminiſtraſſe aliquid habitantibus in Iudæa fratribus: & D. Paulus in elegãti illa epiſtola ad Romanos, ait, viſum fuiſſe diſcipulis habitãtib⁹ Macedoniã & Achaiã, eleemoſynã diſtribuere pauperibus ſanctis qui erãt Hieroſolymis: & in epiſtola priore ad Corin-

thios, collationem ſeu collectam fieri præcipit. cura verò pauperum Diaconis mandata erat. Porrò aucta in immenſum religione Chriſtiana, noſocomia, ptochodochia, brephotrophia, orphanotrophia, xenodochia extructa ſũt, quæ nos communi nomine ab hoſpitalitate illa, quæ apud cæteros homines alienos à perſuaſione Chriſtiana, nedum apud maiorum gentium Chriſtianos viguit, communi nomine Hoſpitalia vocamus: ad quorum bona gubernanda qui poſtea ſunt adſciti, excluſis pauperibus, omnem prouentum in priuatas ſuas vtilitates (ne quid grauius dicam) vel cupiditates verterunt, cum maximo Chriſtianæ pietatis detrimento.

ITAQVE Decuriones Carnutenſes ſua in primis intereſſe exiſtimãtes in vrbe benè conſtituta pauperum æquè ac diuitum commodis ſtudere, anno proximè ſuperiore ſedulò operam dederunt, vt ex CHRISTI præcepto, egentis populi, & qui per ætatem, aut valetudinem ſibi parare victum non poſſet,

neceſsitatibus ſubueniretur: pudebat enim Chriſtianos homines tantam pauperum & ægrotorum turbam diſcurrere per vicos, dómos, templa, oſtentantem vomicas & vlcera non ſine maximo fœtore. Vocatum ſæpe concilium de ea re, vt in re dubia ſolet, in ædes publicas per Chriſtophorum Heroardum Iuridicum, hominem certè probum, & vario rerum vſu prudentiſsimum, qui auditis Decurionum ſententiis, amplius deliberandum, ac trium ordinum vrbis habendum conuentum cenſuit: deinde concilio dies & locus indicitur.

V. Idus Martias conuenitur in ædes tuas, vt ampliores. Conceſſui publico interfuêre Ioannes Momerus Vicarius tuus, Iudices Archimandritæ, Canonici complures, Curiones, vel eorum nomine Procuriones, AEdium ſacrarum curatores, Aduocati, & Mercatores plurimi, vt pro ſuis quiſque opibus pauperum egeſtati ſubuenirent. Tum Ioannes Nicolaus, pirmi nominis apud nos aduocatus, ſurgens frequenti populo, clara vo-

ra voce cauſas publici conuentus explicat, atque apertè oſtendit qua ratione pium hoc inſtitutũ retineri poſsit, quod non ſine diuino conſilio cœptum confirmat: eáque cauſa à Deo Opt. Max. impertiri nobis opes admonet, vt iis pauperum neceſsitatibus ſubueniatur, egeni ſubleuentur, & calamitoſi alantur, nihílque nos debere auocare à tam ſancto conſilio: dandam verò à nobis operam, vt pauperes tantùm eleemoſyna publica ſuſtententur. Sacrilegium eſſe, authore D. Hieronymo, ſi quod pauperum eſt, his tribuatur, qui ſuis, aut parentum opibus ali poſſunt. Finem dicendi cùm feciſſet, qui aderant ſententias rogati à Chriſtophoro Heroardo Coryphęo, vna voce cenſuerunt hanc pauperum ſubuentionem ſibi probari. Tum Heroardus colophonem addens, per parœcias deſcriptionem pauperum inualidorum, id eſt, eorum quibus vires deſunt alicui rei gerendæ, vel propter valetudinem, vel ætatem, fieri debere edicit à Iudicibus, in conſilium adhibitis Curionibus,

vel, ſi abſunt, eorum loco Procurionibus, & AEdium ſacrarum curatoribus. Adhæc, vt à Decurionibus opera publica erigantur, in quibus mendici validi vitam tolerent: alienigenæ dimittantur ad ſuos, dato tamen ipſis viatico. Poſtremò Io. Nicolao acri ingenij viro cura demandatur conficiendorum commentariorum paulo pleniorum, in quos omnia referãtur, quæ ad pauperum ſubuentionem pertinere poſſe videbuntur: quorum hæc ſunt capita,

1 Vetitum ne pauperes vagentur per vicos, areas, ac templa, quibus in poſterum alimenta è publico ſubminiſtrabuntur.

2 Quatuordecim viri honeſti & probi ex omnium ordinum hominibus (vt omniũ habita ratio videatur) quotannis eligentur, qui eleemoſynæ publicæ cum maxima fide & integritate præerunt.

3 Hi Dominicis diebus conuenient in ædes publicas, tractaturi quæ ad pauperum curam pertinebunt: prius tamen conceptis verbis, ab Heroardo, vel alio

concilij Præſide, iureiurando adacti.

4 His poteſtas erit in pauperes, quos coercêre, in vincula coniicere, albo mendicorum eradere, & alios eorum loco ſubſtituere poterunt.

5 Quæſtor vnus creabitur, animo minimè rapaci & ſordido, veluti diſpenſator publicus, qui pecunias pauperum in arca condat, ſubminiſtraturus diſtributoribus eleemoſynarum.

6 Coactores vulgò particulares deligẽtur, qui hoſtiatim per parœcias pecunias conquirant, & conquiſitas Arcario illi numerent.

7 Hi quotannis rationem reddent adminiſtrationis.

8 Diebus Dominicis erogabitur eleemoſyna, & à XIIII. viris locus deſignabitur, in quẽ pauperes conuenient, teſſeras frumentarias, vel argenteas è publico accepturi.

9 Actuarius vnus conſtituetur, qui quatuordecim virorũ decreta excipiat, & in acta vel regeſta referat.

10 Creabũtur apparitores ſex, q̃ paupe-

res diligenter obſeruēt,atque inſpiciant, quibus è publico ſtipendia perſoluētur.

11 Separatim à viris mulieres hoſpitabuntur in ptochotrophiis.

12 Publico præconio iis pœna proponetur,qui amplius vna nocte mēdicos alienigenas domo exceperint.

13 Mendicantium ſi quis ægrotet, in noſocomion ſeu valetudinarium maius deducetur.

14 Pauperes eleemoſynæ publicę albo adſcripti cruce rubra ſignabuntur, quam in humeris geſtabunt.

15 Prohibebitur, ne quis in templis, aut domo eleemoſynā eroget, præter offam,aut aliud,quod è prandio,aut cœna ſuperſit.

16 Arculæ in templis proponentur,in quas quantum pecuniæ quiſque volet coniiciat.

His confectis,ad VI. Calen.Apr. iterum in ædes tuas conueniri placuit. Adfuerunt in concilio Eccleſiaſtici Præfecti omnes, Iudices, cum primariis ciuibus,& populo. Surgens Io.Nicolaus aduoca-

uocatus duplici nomine publicum hunc trium ordinum conuentum haberi palàm exponit. Primò, vt capita, quæ ad iam inſtitutam à nobis curam pauperum pertinebunt, publicè per Actuarium recitarentur, quo communi conſilio his adderetur, ſi quid eſſet addendum: aut deleretur, ſi quid eſſet expungendum: poteſtatémque facit cuique liberè dicendi quod de his ſentiat. Deinde, vt quatuordecim viri eligerentur, quibus cura & adminiſtratio pauperum committeretur. Præterea crearentur Quæſtores, qui pecunias pauperum tractarent. His orabat Deum, ſanctum Spiritum impertiri, vt piè, ſanctè & Chriſtianè quiſque ſuum munus exequeretur. Per Actuarium recitata capita, clara, & communi omnium voce rata habita, & in acta publica, edicente Chriſtophoro Heroardo, relata. electi quoque quatuordecim viri ex omnium ordinum hominibus, quò plures partem adminiſtrandæ Reipublicæ caperent, quorum primas ipſe tulit: híſque mandatum, vt diſtributores elec-

moſynarum conſtituerent. Creati quoque Quæſtores, ſeu Coactores, qui pecuniam illam publicã ſine fraude curarent & diſpenſarent. Dimiſſus conuentus, benè precantibus piis viris, qui aderant, Deus cœptis faueret. dein acclamatum à populo, authores tam pij & Christiani inſtituti Deus vt ſeruet. Non defuêre tamen qui illud improbarent, (vt nihil tam ſanctum poteſt conſtitui, quod ſuos obtrectatores non habeat,) ac palàm vociferarentur pelli vrbe pauperes, quos Chriſtus Deus nobiſcum ſemper eſſe voluit: nihilque aliud huiuſce eleemoſynæ inuentores moliri, quàm vt tributa duplicentur, & collectam pecuniam in ſuos vſus conuertant: præſtaréque tantam pecuniam impendi in filiarũ elocationem, quàm in alimenta pauperum. Quibus reſponſum volo, aliud eſſe pauperes ſedibus propriis pellere, aliud illis parare cibos, veſtitúmque, quibus nutriantur, tegatur corpus, & frigoris iniuria propellatur, vt in poſterũ iſtorum cura planè liberati, quibus homines diſcruciãtur,

ani-

animo multò magis quieto, & ab omni cura vacuo, Deo ſeruiant. proinde diligēter prouiſum à Decurionibus, ne quis mendicet, quod legibus Duodecim tabularum erat prohibitum. Non defuturas quoque pecunias ad alendos pauperes, & filias dotandas, ſi pecunia, quæ in aleam & teſſeras conſumitur, in pios vſus conuertatur. Verùm multis non conuitiis & maledictis lacerati XIIII. viri à maleuolis, qui palàm iactabant ad tātos ſumptus faciēdos pecunias non ſuffecturas: quibus ego meliorem mentem expto, vt cogitent à quo bona tam caduca habent, & quanam ratione ea Deus ipſis ſit largitus. Quia verò moribus noſtris non poſſunt inconſulto Principe tributa imponi, prima tum cura fuit, eorum quę acta ſunt, cenſorem atque arbitrum Regem conſtituere. Conſultus per libellum Princeps, in commune totius ciuitatis corpori proſpiciens, conſcripto in eam rem eleganti diplomate, quæ acta ſunt, rata & firma habet, tributa imperari iubet, adhibito tamen modo, qui ad facul-

tates cuiuſque referatur, tum & ſublata omni interceſsione colligi & exigi: híſque omnibus ſanciédis Curiam Pariſienſem ſuũm decretum interponere imperat, quæ poſtea diplomate recitato, patentibus foribus, primarij auditorij ſubſcribente Regio Cognitore, authoritatem ſuam adhibuit. Nulla enim apud nos cõſtitutionis, reſcripti, aut edicti ratio habetur, ante ſuam in Curia promulgationẽ. Tum amicè primò monentur ciues, vt libenter de re familiari egenis impertiant: quod fecêre ſedulò multi, ac XIIII. viri palàm omnes, & priuatim amicos adhortantur, quos huic inſtituto refragari nouerãt, ne patiantur cum maximo dedecore & ciuium, & Vrbis, rem ſanctam, & à multis ciuitatibus antè fruſtra tentatam, irritam fieri: ſatiúſque fuiſſe admonent non incepiſſe, quàm cœpta deſerere. qui tamen cùm neque verbis, neque exhortationibus ſe aliquid omnino proficere planè intelligerẽt, apud eos præſertim qui hæc pia officia parùm curarent, pro opibus cuiuſque, regiis verbis

ali-

aliquid tributi imperatum, quod inuiti, nolẽtes,& pignoribus captis ſoluere coacti ſunt. Aliquos ego noui, quos non puduit publicæ auctioni ſuorum bonorum intereſſe, eáque immoderatius liceri, decoris ſui planè immemores. Exauditæq́; ſunt voces paſsim vociferantium totius ciuitatis facultates nõ ſuffecturas in mẽſes tres alendis pauperibus, tot prçſertim alienigenis in vrbem confluẽtibus, quos rogo, vt CHRISTO fidere diſcãt magis, quàm pecuniç, & ne ſe priuari ſinant inuiſibili veróque bono, quod ſuis Deus largitur: ſed diligẽter conſiderent Chriſtianum opus, quod iamiam ruiturum minabantur, Dei beneficio annum integrum ſtare, ſtabiliri, atque in dies magis magíſque incrementa ſuſcipere: ſperóque futurum, vt ad bonam frugem ſe recipiant, vbi inſtituti tam ſancti cõmoda in ſe redundantia ſenſerint: & vicinæ ciuitates, noſtro exemplo, eſurienti & ſitienti panem & potum miniſtrent, ſicq; paulatim Chriſtiani nominis dignitas effloreſcat. Aſſueſcebant ſenſim ciues è

ſuo quiſque tenui vectigali pauperes alere, cùm fames maxima exorta in Normania, atque vicinis gentibus, magnam multitudinem pauperum relicta patria in vrbem compulit, qui ægra morbo & fame trahentes corpora per vicos cateruatim moriebantur. plures, cùm aliquot dierum famē toleraſſent, ingluuie perierunt. His malis cùm diligenter ſuccurrendum eſſe XIIII. viri animaduerterent, (neque enim fames patiebatur moram interponi,) cenſuerunt de eo referendum ad tres ciuitatis ordines, vt qua ratione tot egenorū & Chriſtianorū hominum ſaluti conſuli poſſet, publico concilio decerneretur. Per præconem III. Calen. Aprilis indictus in ædes tuas conuentus. Confluxêre eò Præfecti Eccleſiaſtici, Iudices, cū populi multo maxima parte, qui iſtuc venerat viſendi potius, quàm cenſendi ſtudio. Tum ſurgens Franciſcus Marchæus, celebris apud nos aduocatus, loco Io. Nicolai, qui tunc ægrotabat, dixit ſentiri iam commoda eorum quæ acta erant; aliquid tamen ſuper-

pereſſe, quod Sacræ literæ in naſcentis eccleſiæ primordiis maximè commendant, nempe xenotropheum atque hoſpitalitatem: affirmátque non modò oppidanos pauperes, ſed extraneos eſſe noſtris facultatibus ſuſtentandos. Inhumanum, imò plus quàm belluinum eſſe, ſinere homines CHRISTI baptiſmo ſignatos ante ora noſtra fame perire: quod miſerrimum mortis genus ab antiquis eſt exiſtimatum. denique iuxta D. Pauli ſententiam inter ablutos ſanguine CHRISTI, non differre Græcum à Iudæo, cùm omnes Chriſtiani in Chriſto vnum corpus ſimus: effundenda potius eſſe patrimonia in extraneos pauperes enutriendos, quàm ſinere tantam maculam Chriſtianis inuri. Cùm peroraſſet, qui conuenerant, à Chriſtophoro Heroardo ſententias rogati, in Marchæi ſentẽtiam pedibus iuêre, atque clara voce cenſuerunt ineundam rationem, quẽadmodum extranei tãtis malis liberentur. tanta eſt vis verbi Dei. Id tamen fieri minime poſſe, niſi ditiores aliquid ſuperindictionis nomine conferant. tentandũ

quantum primùm pecuniæ ab ipſis per parœcias colligi poſſit, qua alienigenæ pauperes per quatuor menſes ali poſſint: quod ſi recuſent ſoluere, cogantur etiam diſtractis pignoribus, atque eius rei cura XIIII. viris delegata, quod ſe facturos haud grauatè ſunt polliciti. Plerique tributum ex cenſu, ídque præſenti pecunia, perſoluerũt, quod alij nõ niſi manu mobilibus iniecta penſitarunt. Electus quoque ciuis vnus probatæ fidei, qui mendicis hàc tranſeuntibus viaticũ diſtribuat, cui ſingulis diebus ex viatoribus appareant duo, eúmque ab iniuria defendant, ſi qua vis ingruat. Quia hæc ad vitam piè & rectè inſtituendã vtilia, & tibi magnæ voluptati futura putaui, ſtudioſè hunc laborẽ ſuſcepi: nam verę pietatis ſignum eſt, quoties Deus omnia in bonũ vertit, & rem ſuo nomine cœptã proſperos exitus habere ſinit, vt cùm altius radices egerit, vberes & tempeſtiuos fructus his adferat, qui, omnibus humanis rebus contemptis, in Dei amore ſibi perpetuò conquieſcendum exiſtimant.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA